Quelle: https://manuscripta.at/?ID=851
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



si stabit. et uelox pedibus suis non saluabit. et ascendet equus non saluabitur anima sua. et robustus corde mente fortitudinis nudus effugiet in die illa dicit dominus deus. III

Audite hoc uerbum quod locutus est dominus super uos filii israel super omnem cognationem quam eduxit de terra egypti dicens. Tantum uos cognoui ex omnibus cognationibus terre. Idcirco uisitabo uos super uos ob iniquitates uestras. Numquid ambulabunt duo nisi ei qui uenerit. Numquid rugiet leo in saltu non habens predam. Numquid dabit catulus leonis uocem de cubili suo nisi aliquid apprehenerit. Numquid cadet auis laqueum terre absque aucupe. Numquid auferet laqueus de terra antequam quid capiat. Si clanget tuba in ciuitate et populus non expauescet. Si erit malum in ciuitate quod dominus non fecerit. Quia non faciet dominus deus uerbum nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos prophetas. Leo rugiet quis non timebit. Dominus deus locutus est. quis non prophetabit. Audite hoc facite in aedibus azoti et in aedibus de terra egypti. et dicite. congregamini super montes samarie. et uidete insanias multas in medio eius. et calumnias patientes in penetralibus eius. Et nescierunt facere rectum ait dominus. thesaurizantes iniquitates et rapinas in aedibus suis. propterea haec dicit dominus deus. Tribulabit et circumdabit terra. et detrahet ex te fortitudinem tuam. et diripient domos tuas. Haec dicit dominus deus. Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura aut extremum auriculae. sic eruentur filii israel. qui habitant in samaria. in angulo lectuli et in damasci grabato. Audite et testamini in domo iacob dicit dominus deus exercituum. Quia die cum uisitare coepero praeuaricationes israel super eum uisitabo. et super altaria bethel. et amputabuntur cornua altaris et cadent in terram. Percutiam domum hiemalem cum domo estiua. et peribunt domus eburnee et dissipabuntur aedes multae dicit dominus. IIII

Audite hoc uerbum uaccae pingues quae estis in monte samarie. quae calumniam facitis egenis et confringitis pauperes. quae dicitis dominis uestris. afferte et bibemus. Iurauit dominus deus in sancto suo. quia ecce dies uenient super uos. et leuabunt uos in cophinis. et reliquias uestras in ollis feruentibus. Et egrediemini per muros altera contra aliam et proiicietis in armon dicit dominus. Uenite ad bethel et impie agite in galgala et multiplicate praeuaricationem. et offerte mane hostias uestras. tertio die decimas uestras. et sacrificate de fermentato laudem. et uocate uoluntarias oblationes et annuntiate. sic enim uoluistis filii israel dicit dominus. Unde ego dedi uobis stuporem dentium in cunctis urbibus uestris. et indigentiam panis in omnibus locis uestris. et non estis reuersi ad me dicit dominus. Ego quoque prohibui a uobis imbrem cum adhuc tres menses superessent usque ad messem. et pluui super unam ciuitatem. et super ciuitatem alteram non pluit. pars una compluta est. et pars super quam non pluit aruit. et uenerunt duae et tres ciuitates ad unam ciuitatem ut biberent aquam. et non sunt satiatae. et non redistis ad me dicit dominus. Percussi uos in uento urente et in aurigine. multitudinem hortorum uestrorum et uinearum uestrarum. et oliueta uestra et ficeta uestra comedit eruca. et non redistis ad me dicit dominus. Misi in uos mortem in uia egypti. percussi in gladio iuuenes uestros usque ad captiuitatem equorum uestrorum. et ascendere feci putredinem castrorum uestrorum in nares uestras. et non redistis ad me dicit dominus. Subuertit uos sicut subuertit deus sodomam et gomorram. et fuistis quasi torrens raptus de incendio. et non redistis ad me dicit dominus. Quia haec faciam tibi israel. propterea quia hoc faciam tibi israel. praparare in occursum dei tui israel. qui ecce formans montes. et creans uentum. et annuntians homini eloquium suum. faciens matutinam nebulam. et gradiens super excelsa terre dominus deus exercituum nomen eius. V

Audite hoc uerbum istud